HOMILIA XII.

Hodierni evangelii erudita incipit paraphrasis, ex sanctorum Patrum, et aliorum gravissimorum doctorum monumentis, nec non ex quibusdam aliis a nobis excogitatis concinnata.

Eo divino artificio arbitror factum a Ioanne evangelista, ut minutim varias narraret circumstantias temporis, loci, personarum, immo et vasorum, in quibus transmutationem aquae in vinum Christus Dominus confecit, ut hac ratione tanti miraculi, ac inauditi portenti fidem augeret: illustriusque, et credibilius illud omnibus redderet. A circumstantia quidem temporis sacer Evangelista exordiens, *die tertia*, celebratas fuisse has nuptias narrat, in cuius sane circumstantiae expositione, quot capita, tot video sententias. Prima expositio est divi Epiphanii (*haeres.* 51), ubi ait, hanc esse diem tertiam ab illa, qua duo illi discipuli voce Ioannis permoti, Christo sese associaverunt. Cui adstipulantur divus Thomas; et Lyranus, dum aiunt, hunc tertium esse diem, a quo Nathanael ad Christum adductus fuit a Philippo. Secunda est Euthymii putantis, tertium diem ab eo computari, quo Christus redierat a deserto, ubi post ieiunium tentatus fuit. Tertia est Origenis (*tom.9.in Ioan.*), computantis diem tertium a Philippi vocatione, et Christi profectione in Galilaeam: hoc enim fuit ultimum tempus ab Evangelista descriptum: *In crastinum*, inquit, *voluit exire in Galilaeam*. Quam expositionem sequutus cardinalis Toletus (*in c.2.Ioann.*) ait: *Die tertia factae sunt nuptiae in Cana Galilaeae, ut prima dies sit vocationis Philippi, altera accessus Nathanaelis in Canam, et tertia quando ibidem hae nuptiae sunt celebratae.* Quarta expositio est Ruperti (*l.2.in Ioan.*), cuius haec sunt verba: *Coniunctio, quae praeponitur ad superiora diligentem remittit lectorem, videlicet hoc modo: altera die stabat Ioannes, in crastinum voluit exire in Galilaeam, et invenit Philippum, et die tertia nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae.* Quinta expositio est quorundam recentiorum, hanc diem hebdomadis esse tertiam existimantium, quae a sabato sumebat initium, ut sit eadem, quae apud latinos *dies lunae dicitur*. Sexta expositio est, quam alii etiam Neotherici docent, asserentes, hanc diem tertiam connumerandam esse a die, in qua in Galilaeam pervenerat. Septima expositio Fabri est in hunc modum loquentis: *Tertia die, hoc est, feria tertia, ut nos loquimur, nuptiae factae sunt; nam Iudaei hebdomadae dies a sabato numerabant. Prima sabati dies erat Dominica; secunda sabati feria secunda; tertia sabati feria tertia.* Ultimam tandem expositionem mysticam appono, quam tradit hic venerabilis Beda dicens: *Dies haec tertia computari debet in hunc modum, ut dies prima sit legis naturae, quae coepit ab Adam: secunda legis scriptae, quae coepit a Moyse: tertia dies gratiae, in qua factae sunt, non solum nuptiae Canae Galilaeae, sed et nuptiae Agni immaculati Christi Domini cum dilecta sponsa sua Ecclesia catholica,* iuxta illud (*Apoc.*19): *Venerunt nuptiae agni.*

Nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae. Inter alia nomina, quibus matrimonium nuncupari solet, nuptiarum appellatio celebris est. Nuptiarum autem nomen, ut docet divus Bonaventura (*in* 4.*dist.*27), originem ducit a nubibus, quia nubentium capita iis operiri solebant. Quod idem prius tradidisse reperio divum Ambrosium (*l.*1. *de Abraham*, *c.*9. *tom.*4), et refertur (*in cap.*), necnon illud (35. *qu.* 5), ubi haec verba lego: *Nuptiae dictae ab eo, quod pudoris gratia se puellae obnubebant.* Sic ut contigit Rebeccae, ut habetur (*Gen.*24), quae cum audit Isaachum sponsum eius futurum ad se venientem, continuo faciem suam contexit: *At illa tollens cito pallium suum, operuit se.* Cana autem Galilaeae, ut notavit Ioannes Gagnaeius, oppidum erat in tribu Aser, quinque distans milliariis a Ptolemayde, unde et oriundus erat Nathanael: adhucque ibi ostenditur illud nuptiarum nobile triclinium. Verum divus Hieronymus (*de locis hebraicis*), distinctius refert, quod Cana duplex erat: una minor in Tribu Zabulon, non longe a finibus Aser, decem milliaribus distans a Nazareth ad Occidentem, et Septentrionem, ex qua Cana ortum habuit Simon Apostolus, qui propterea Cananaeus dictus est: atque in hac nuptiae peractae sunt. Altera Cana maior, proxima Tyro, et Sydoni, in tribu Aser, de qua fit mentio (*Iosue* 9), et de qua mulier illa Cananaea egressa dicitur (*Matt.*15), erat enim gentilis, sed in Cana inter vicinos Iudaeos habitabat; et ad huius Canae distinctionem, illa dicta est Galilaeae quasi inferioris, quae quoniam erat vicina Nazareth, nihil mirum, matrem Domini ibidem fuisse.

Quae autem personae his nuptiis adfuerint, qui etiam coniuges illarum fuerint, partim tradit sacer Evangelista, partim sub lite est apud interpretes. Expediamus prius quod dubium est; deinde ad certa veniamus. Digladiantur inter se gravissimi doctores, Ioannes ne Evangelista fuerit sponsus in his nuptiis? Rupertus (*l.2.comm. in Ioan.*), tanquam communem sui temporis opinionem illam venditat his verbis: *Evangelistam Ioannem, relictis nuptiis, Dominum sequi coepisse arbitramur; ipsius enim istas fuisse nuptias opinio fere omnium est: tradunt namque historiae, quod eum de nuptiis volentem uxorem ducere, vocaverit Christus: et propterea quem a carnali voluptate retraxerat, potiori amoris sui dulcedine donavit.* Ita Rupertus, qui anno Domini 1124. Beda etiam (*tom. 7. in hom. Evang. Dixit Iesus Petro: Sequere me*) sic ait: *Tradunt historiae, quod Ioannem de nuptiis volentem nubere Dominus vocavit, et propterea quem a carnali voluptate retraxerat, potiori amoris sui dulcedine donavit.* Eandem sententiam sequitur divus Hieronymus (*in prol. sup. Ioan.*), vel quicunque alius prologi auctor est, inquiens: *Ioannem de nuptiis volentem nubere, vocavit Dominus*: et divus Augustinus (*in sim.prolog. sup Ioan.*), vel si quispiam alius scriptor est, ait: *Iste est Ioannes quem Dominus de fluctivaga nuptiarum tempestate vocavit.* Unde et Lyranus (*in c.* 2. *Ioan.*) eidem sententiae adhaerens, haec scripsit: *Dicitur communiter, quod istae nuptiae fuerunt Ioannis evangelistae, a quibus eum Christus vocavit ante consummationem matrimonii; et hoc in Ecclesia observatur, quod ante carnalem copulam potest licite alter coniugum intrare Religionem.* Secuti sunt eandem sententiam divus Bonaventura (*in vita Christi*), divus Antoninus (3. *par. Summae*, *tit.*5), divus Thomas (2.2.*quaest.*186.*art.*4), et dum exponit prologum divi Hieronymi, quem vere illius esse ipse censet. Cardinalis Caietanus, Ioannes Maior. Ludalphus in vita Christi, Dionysius Carthusianus, Echius, Sotusque (*in* 4.*distinct.*27.*quaest.*1.*artic.*4) Mantuanus etiam (*in* 3. *lib.Parthenices Marianae*), explicans Christi mortem, et quis ille discipulus esset, cui Christus matrem suam commendavit, ait:

Flentibus his aderat Iuvenis, qui sponte relicta
Coniuge, dilecto voluit comes ire Magistro.

Neque hoc mirum esse debet, cum hoc Christus asserat: *Venisse dividere virum ab uxore sua, et filium a patre;* non quod libellos repudii, discordias, et rixas inter coniugatos, aut rebelliones inter filios probet; sed potius quod ad puriorem, et perfectiorem divini numinis cultum secreturus sit coniugatos: cum mutuo tamen consensu, ut se immaculatos reddant, et ab operibus carnalibus alienos. Ac tandem Barradius (*tom.*2. *lib.*3.*c.*1): *Nonnulli,* inquit, *hanc de nuptiis Ioannis existimationem explodunt, ego vero non explodam, quod non levis auctoritatis habet sectatores, quod ex antiqua historia accepta, Rupertus, et Beda affirmant.* Unde et percontanti: quidnam sponsa a Ioanne relicta fecit, alteri ne nupsit, an perpetuo castitatem servavit? respondet, quod cum Dei perfecta sint opera, utrique coniugum castitatem inspirasse, credibilius esse; et cum beata Virgine virginitatem coluisse.

Verum ego nullo modo in hanc sententiam duci possum. Primo, quia Christus propterea nuptiis interfuit, ut ea approbaret. Quod si matrimonium iam ratum dissolvisset, reprobare potius coniugium, quam approbare adstantibus videretur. Secundo, quia vocatio ex nuptiis dignissima fuit, quae literis evangelicis mandaretur, fuissetque a Ioanne memoriae prodita si contigisset; nullam vero illius mentionem, vel Ioannes, vel alius fecit Evangelista. Tertio, quia virginitati Ioannis haec vocatio minime favet: etenim praestantior est virginitas, quae ad coniugium nunquam pervenit: cum igitur Ioannes ex communi omnium consensu eximius perfectae castitatis professor extiterit, minime censendus est, animum foeminam unquam cognoscendi habuisse. Quarto, quia, ut adnotavit doctissimus Maldonatus (*in com. hui. loc.*), verisimile non videtur, Ioannem ab inchoatis nuptiis in Cana Galilaeae revocatum, quia Cananaeus non erat; et quia cum nuptiae illae in Cana Galilaeae celebratae sunt, si iam a Christo vocatus erat, certe cum eodem non tanquam sponsus, sed tanquam discipulus illis interfuit. Sexto et efficacius, quia Ioannes vocatus est multo post has nuptias a Christo Domino: vocavit enim illum post incarcerationem Ioannis Baptistae, ut habetur (*Luc.*5), non igitur fuit vocatus a nuptiis ad statum coelibatus, ut illi opinantur. Unde divus Epiphanius (*haeres.* 51) expresse docet, Ioannem his nuptiis non interfuisse, tantum abest, quod et sponsus esset: verba eius sunt haec: *Tertia die factum est primum divinum signum, cum quidam discipuli cum Christo essent, non Andreas, non Petrus, non Ioannes, non Iacobus.* Immo d.Augustinus (*tract.ult.in Ioan.*) oppositae sententiae refragatur, dum ait: *Sunt qui senserint, et hi quidem non contemptibiles sacri eloquii tractatores, a Christo Ioannem Apostolum plus amatum, propterea quod neque uxorem duxerit, et ab ineunte pueritia castissimus vixerit. Hoc quidem in Scripturis canonicis evidenter apparet. Verum tamen id quoque multum adiuvat congruentiam, quod illa vita per eum significata est, ubi non erunt nuptiae;* haec Augustinus. Divum etiam Hieronymum idipsum sentire ex eo facile convincor, quod (*libro primo contra Iovinianum*), probanti Ioviniano, melius esse virginitate matrimonium, eo argumento, quod Christus Ecclesiae principatum non Ioanni virgini, sed coniugato Petro commiserit; respondet Hieronymus, id factum, quia tunc aetate puerili erat Ioannes: vocatus enim est vigintiquinque annorum. Profecto si nuptias celebrasset Ioannes, efficacius opposuisset Ioannem etiam uxorem duxisse, eamque reliquisse, ut virginitatem amplecteretur; quo telo nunquam adversus illum usus est. Unde recte cardinalis Toletus (*supr. cap. secund. Ioan. annot.* 13) negat Augustinum, aut Hieronymum oppositum sensisse, sic enim ait: *Praefatio illa Augustini non est, sed potius Bedae, cuius verbis conflata, sicut etiam illa, quae Hieron. tribuitur, quae ex eiusdem Bedae verbis, vel certe ex alicuius alterius a Hieronymi phrase longe distantis composita est; ut solus Beda sit huius opinionis auctor.* Quare Nicephorus (*libro* 8. *cap.* 30) scribit harum nuptiarum sponsum fuisse Symeonem Cananaeum Apostolum, nec tamen a nuptiis esse abstractum: *Helena*, ait ille, *Constantini imperatoris mater, in Cana Galilaeae, ubi Symonis Cananaei nuptiae celebratae sunt, sacram aedem aedificavit.* Quae autem fuerit sponsa, d. Antoninus (3. *par. Summae*, *tit.*21. §. 3) refert, existimasse nonnullos, sponsam in his nuptiis fuisse Mariam Magdalenam. Maldonatus vero (*in cap. sec. Ioan.*) circa hoc scripsit haec verba: *Constat ex descriptione Galilaeae Canam vicinam fuisse Nazareth, ubi mater Domini habitabat; et est verosimile, alicuius cognatae, et valde familiaris mulieris fuisse nuptias, ideoque et vocatam fuisse Virginem, et vocatam ire non recusasse.*

Sed iam veniamus ad ea, quae certa sunt. Indubitatum est in primis, beatam Virginem his nuptiis adfuisse, Ioanne dicente (*cap.* 2): *Et erat mater Iesu ibi*, scilicet vocata. Unde

divus Chrysostomus (*homil.* 20) ait: *Quemadmodum illam, ita et Iesum vocaverunt.* Idque non obscure indicant sequentia verba: *Vocatus est autem et Iesus.* Illa enim copulativa et augendi vim habet, et vocatam etiam indicat matrem, immo et prius venisse, quam filium, ut adnotavit hic cardinalis Toletus. Unde Barradius (*tom.* 2. *lib.* 3) ait, invitatam Virginem venisse ex oppido Nazaretha Canam; cum vero Christus ex Iudaea Nazaretham reverteretur, ipsum fuisse vocatum, ut eisdem, quibus mater interesset nuptiis. Illud autem, quod multorum animos pulsat, quomodo Virgo intererit nuptiis, cum illis adesse, multum virgines dedeceat? Respondet sapienter huic quaestioni Rupertus (*lib.* 2. *comm. super Ioan.*) in haec verba: *Magnum, et cunctis sanctae Ecclesiae ordinibus spectandum humilitatis exemplum, verumtamen sacris virginibus non imitandum, quod mater Iesu, Virgo, Domini templum illibatum, sancti Spiritus sacrarium non aspernata est carnalium interesse celebritati nuptiarum: non enim sacris virginibus hoc imitandum est, quia videlicet tempus aliud, alia persona, locus alius est. Omnia tempus habent, dixit Ecclesiast. Virginibus Deo dicatis propositum, quod ardet in mente, luceat in veste, radiet in ore, vel publica professione. Matris Domini virginitas cunctos homines latebat, quia videlicet divulgari illam ratio temporis non sinebat: neque enim libera tunc esse poterat virginitatis professio, vel huiusce exempli praedicatio, cum adhuc Moyses sub velamine suo declararet maledictos omnes, qui non facerent semen in Israel. Maluit ergo humiliter cavere praesens scandalum, quam futuris virginibus immaturum rigidi propositi praebere exemplum, quo plus tolleret supercilium virginum fatuarum, quam instrueret custodiam prudentium matribus, ceterisque quae cunctae viros noverant, Virgo mater se in nullo praesumens, matrem ubique se profitens, eo quod haberet filium, virginitatis autem suae tacitum conservans in corde mysterium. Nam sicut incongruum, immo impossibile est tectum domus stabilire, antequam fundamentum; sic impossibile erat ante susceptam fidem incarnationis Christi praescribere ordinem, quo sacrae virgines sese a saecularibus distinguere debeant;* hactenus Rupertus.

Rursus certum etiam est, Christum Dominum interfuisse his nuptiis, nec non et quosdam eius discipulos, cum Ioannes dicat (*c.* 2): *Vocatus est autem et Iesus, et discipuli eius.* Licet autem vocati potuissent non venire, clare tamen constat venisse: quia de Christo ait Ioannes, dixisse ministris: *Implete hydrias aqua;* de discipulis vero, quod ob excellentiam visi miraculi conversionis aquae in vinum, in fide profecerunt: *Et crediderunt in eum Discipuli eius.* Qui autem fuerint hi discipuli, non una est omnium sententia: nam d. Ambrosius (*serm.* 20) Apostolos Christi esse affirmat, quos ibi interfuisse putat. Divus Epiphanius (*haeres.* 51) id asserit, tanquam certum, ibi non fuisse Petrum, et Andream: dubitanter tamen scribit illos discipulos fuisse Philippum, et Nathanaelem; quod verosimilius iudicat cardinalis Toletus (*in cap.* 2. *Ioan.*). Divus autem Chrysostomus (*homilia* 47) inter invitatos refert Iacobum, et Iudam.

Verum ad Christum, qui his nuptiis interfuit, redeamus. *Vocatus est autem et Iesus.* A saeculo opinor auditum non fuisse tale convivium. Primo aderat ibi innocentiae, atque virtutum omnium fons, et origo, Christus: deinde totius pudicitiae speculum, Maria; postremo iam meliores spiritus, studiosi Apostoli. Nihil ibi erat non modestum, ac frugale: liberalis enim paupertatis, et frugalitatis illa vocatio fuit; ipse autem venit, non ad delicias, sed ut primordia status ad mutui convictus necessitatem iuventur. Huiusmodi fuerunt nuptiae iunioris Tobiae, ubi cum timore Domini exercebant convivium nuptiale; nec enim ibi Asmodaeus, aut ligula magica locum habuit: etenim sponsus erat timens Deum, optimi nimirum patris optimus filius. Secundo sponsa erat Sara castissima, et spectatae modestiae puella. Tertio aderat et Gabelus vir pius sane, ut interim sileam sponsae parentes. Postremo aderat et angelus Raphael, novis nuptis benedicens. Nunc si ad huius tempestatis nuptias convertamus oculos, o Deum immortalem, quam sunt hic omnia diversa! non Iesus vocatur, sed Bacchus; non Maria, sed Venus: non invitantur sobrii, et frugales discipuli Domini, sed Comes, idest Deus nocturnarum compotationum. O infaustas nuptias! o inauspicati hymenei!

Vocatus est autem et Iesus. Beatae quidem sunt nuptiae, in quibus Iesus reperitur, infelices autem, in quibus Christus non adest; quia illis diabolus praeest, partim ut coniugium contra voluntatem Dei faciat, quemadmodum fecit, cum filii Dei filias hominum acciperent sibi uxores, idest illas, quae post Seth natae fuerant filiae ex progenie Cain; unde multa peccata oriebantur, et generale diluvium omnes homines occidit: et quemadmodum filii Israelitarum filias incredulorum Cananaeorum uxores duxerunt, quas mandato Dei relinquere debebant. Partim venit daemon, ut in nuptiis homines ad peccandum excitet, eosque in peccatis opprimat, et extinguat, sicut suffocavit septem illos viros, qui Saram Rachelis filiam in uxorem ducebant, et quemadmodum filios Iambri in Madaba in ipsorum nuptiis ad magnum fastum, et superbiam inflammavit, in quibus a Iuda Machabaeo omnes occidebantur: nam, ut dicit Sapiens (*c.* 14): *Neque vitam, nec nuptias mundas iam custodiunt,* sed saepe fiunt per libidinem, aut certe per superbiam, cupiditatem, vel ambitionem. Ad nuptias vero vocatur Christus duobus modis. Alter est per preces; quemadmodum Abraham eum invocavit, dicendo ad servum suum Eliezer, quem mittebat in Mesopotamiam, ut pro filio suo Isaac uxorem acciperet (*Genes.* 24): *Dominus Deus coeli, qui tulit me de domo patris mei, ipse mittet angelum suum coram te, et accipies inde uxorem filio meo.* Tobias etiam, et Sara sponsa eius, dum irent cubitum, prima nocte nuptiarum suarum Deum orabant cum magno fervore; per quam orationem daemon expellebatur, magis certe, quam per cor, et iecur piscis: quae duo Tobias super carbones

candentes torruit. Quae tamen denotant ea, quae pro bono aliquo coniugio fieri debent: cor enim principium est, et fons vitae; iecur autem origo est sanguinis, et locus concupiscentiae. Haec duo comburi oportet, idest, cor tuum incendi debet amore Dei, quo quidem totam vitam tuam, et quicquid es, Deo offers, cupiendo ei adherere, licet corpus tuum in coniugio consorti tuae tradere debeas. Deinde amorem concupiscentiae, quo hominem diligis, mutare debes in amorem Dei, ut ita deinceps uxorem tuam, et virum secundum animam magis diligas, quam secundum corpus, quaerendo, ac procurando magis salutem animae, quam sanitatem, et prosperitatem corporis.

Vocatus est autem et Iesus. Tobias, pauperum inter media convivia memor erat, ut habetur (*Tob.*2). Unde merito sunt arguendi, qui egenos a suis conviviis excludunt; cum dicat Dominus (*Lucae* 14): *Cum facis prandium, noli vocare amicos, vicinos, aut divites; sed voca pauperes, ac debiles, coecos, et claudos, et beatus eris: quia non habent retribuere tibi in resurrectione iustorum.* Debent hoc facere coniugati, non solum in nuptiarum conviviis, sed etiam in aliis prandiis Christum in suis pauperibus invitantes, nec illos excludentes, ne a Christo excludantur. Refert enim Robertus Kolkot (*sup. l.Sapien. lect.* 210), quod senator quidam cum uxore sua aedificavit castrum, in quo scripsit haec metra:

Decretum detur: ne dormiat, aut epuletur
Hic gens villana, sed Achilles, Plato, Diana;

quasi diceret: huc non intret triplex hominum genus: laici, illiterati, et deformes, sed militares, qui significantur per Achillem; et docti, qui designantur per Platonem; et formosae mulieres, quae notantur per Dianam; et sic exclusit pauperes. Contigit autem eum infirmari, et Christus visitavit eum dicens: Exclusisti me in meis, et ego te excludam a regno meo. Audiens hoc Senator, beatam Virginem Mariam imploravit, quae miserta ei apparuit, et ipsum ab aliis haec longe diversa carmina docuit:

Muta decretum: Sanctorum collige coetum:
Nudum Martinum, Iacobum, Lazarum, peregrinum.

Verum iam Patres audiamus, qui praeclara multa in hunc locum edixere: *Vocatus autem et Iesus.* Divus Gaudentius Episcopus (*in Evang. Tract.* 1) inquit: *Ideo nuptiarum celebritatem non aspernatur Christus, ut eundem se esse testetur Deum, qui de limo terrae figuraverat ab initio virum, et foeminam, iisdemque licentiam tribuerat coniugalem dicens: Crescite, et multiplicamini, et replete terram. Quod Manichaeis perditis adeo displicet constitutum, quibus ego ob immunditiam suam puto, non utique rem nuptialem displicere, sed leges quae non multas foeminas uni viro coniungunt. Nolunt enim vivere ipsi execrabiles Manichaei iuxta Apostoli Pauli doctrinam, ut unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque uxor suum virum. Bene dixit ergo, quod constituerat a primordio legitimum Christus coniugium, dum pergere ad nuptias non renuit invitatus.*

Beda (*in com.hui.loc.*) asserit: *Etiam ad nuptias venire dignatus est Christus, ut iuxta literam recte fidem credentium confirmaret. Porro Tatiani, et Marcionis, ceterorumque, qui nuptiis detrahunt, perfidia quam sit damnabilis, insinuat. Si thoro immaculato, et nuptiis debita castitate celebratis culpa inesset, nequaquam Dominus ad has venire voluisset. Nunc autem, quia bona est castitas coniugalis, melior continentia vidualis, optima perfectio virginalis, ad probandam omnium electionem graduum, discernendam tamen merito singulorum, ex intemerato Mariae Virginis utero nasci dignatus est, et a prophetico viduae Annae ore mox natus benedicitur, atque a nuptiarum celebratoribus iam iuvenis invitatus, hos praesentia suae virtutis honorat. Quid autem mirum, si in illam domum ad nuptias venit?*

Ad extremum publicae utilitati inserviens, non possum me abstinere, quin mirabilem, ac sapientem d. Ioan. Chrysostomi hic inseram meditationem; quam ille habuit sermone in historiam istam contra Iudaeos, Gentiles, et Haereticos: *Vocatus est Iesus, dicit, ad nuptias. Oro, compositis moribus estote, et audite, quae dicuntur, quoniam multi nuptias praetexunt, alii filios, alii malitiam, alii negotiationem, alii artificium, alii servitutem, alii divitias, alii inopiam, et quaecunque talia sunt. Volo igitur declarare vobis, quod neque divitiae impediunt, neque inopia, neque militia, neque negotiatio, neque nuptiae, neque pueri, neque servitus, neque opificium, neque aliquid tale. Vocatus est Iesus ad nuptias. Venit, vel non venit? certum quod venit; quomodo ergo nuptiae malae? ego autem non dico, quod tantum venerit, sed quod et dona secum attulerit: aquam in vinum mutavit. Ne excuses te propter nuptias, Dominus tuus nuptiis interfuit, et nuptias honestavit, et tu nuptias arguis, et dicis nuptias obstaculum esse ad pietatem? nullum enim est ad pietatem obstaculum. Vis cognoscere, quod nihil nocet habere uxorem, et pueros? Moyses nonne uxorem habuit, et liberos? Helias nonne virgo erat? Nonne Moyses e coelo manna deduxit? Nonne Helias e coelo ignem deduxit? nonne Moyses e coelo coturnices advolare fecit? Nonne Helias verbo coelum clausit? Nonne Moysi Deus locutus est? nonne et cum Helia conversatus est? Nonne Moyses mare divisit, et transduxit populum? nonne Helias curru igneo in coelum sublatus est? An nocuit huic virginitas? an impedimento fuerunt illi uxor, et liberi? Vidisti Heliam aurigam in aere? vidisti Moysen in mari viatorem? vide et Petrum Ecclesiae columnam, quod et ipse habuit uxorem. At non est scriptum, inquis, quod Petrus uxorem habuit. Unde ergo liquet, quod uxorem habuit? ego dico: Ingressus est Iesus ad socrum Petri, et erat illa infirma, et tetigit eam, et reliquit eam febris, et stetit, et ministravit. Vides, quod et Petrus uxorem habuit? ubi enim socrus, manifestum quod ibi et uxor. Vides quod et Petrus uxorem habuit? ne incuses nuptias. Haec dico, ut ne quis praetexat?*

vel uxorem, vel liberos, vel militiam, vel negotiationem, vel opificium, vel servitutem, vel divitias, vel paupertatem. Haec excusatio, hic praetextus, diaboli insidiae sunt. Militiam praetexis, et dicis: non possum esse pius. Centurio nomine miles erat, et dixit ad Iesum: Non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus, et admiratus Iesus ait: Amen, amen dico vobis, neque in Israel tantam fidem inveni; nihilque nocuit illi sua militia. At quid si opifex? et Paulus operatus est manibus, qui et antea Ecclesiarum praedator, et post hoc factus praedicator, et apostolus. Quid vero si dives? et Abraham dives, et ipse uxorem habuit, et pueros: credidit enim Abraham, et reputatum est ei ad iustitiam, et amicus Dei vocatus est: ita nihil obfuerunt ei divitiae, et mulier, et pueri: non habes excusationem. Tria, quae praetexere potes, unus ille habuit, et uxorem, et pueros, et divitias. Sed quomodo si servus? et Onesimus servus erat; et scribit Paulus ad Philemonem dicens: Onesimo, qui olim nullius frugis, nunc autem et mihi, et tibi utilis. Verum, quid si rex? erat et David rex: et cum ingressus ad eum Nathan propheta arguit ipsum de peccato, quod fecerat, numquid in illum tyrannidem exercuit? numquid vel asperum aliquod verbum prophetae dedit? an non et in regno servum se fatebatur, dicens: peccavi Domine? et propheta videns poenitentiam eius, dixit: et Dominus abstulit peccatum tuum. Velox poenitentia, velocior condonatio. Num aliquid sibi tribuit rex, et dixit: rex sum amictus purpura, circumdatus diademate; fero tela, sagittas, scuta, arma: mihi sunt milites, et armigeri, et pauperem illum timerem? ferremne eum, et occiderem? sed nihil talium protulit, quamvis rex esset. Sciebat enim, quod peccarat, et ob hoc poenituit, quia sciebat se graviter peccasse; et nihil ei obfuit regnum. Iam quid si iuvenis? erat et Daniel iuvenis, et leonum ora canstrinxit, et dracones confregit, Bel subvertit, et presbyteros iudicavit, Susannam liberavit, tantaeque virtuti imperfecta aetas non obfuit. An non et talis erat fratrum amator Ioseph, qui tantam praesetulit sapientiam, et continentiam apud Aegyptiam? vestem suam dimisit, fidem non disrupit, impudentiam mulieris vicit, concupiscentiam non satiavit, et nihil impedivit illius virtutem adolescentia. Sed quid si vidua? erat et Sydonia vidua, quae Heliam hospitio excepit, et pavit pane, et aqua, et auctorem panis non est reverita? Quid autem si meretrix? erat et Rahab, quae exploratores occultavit, et cum filii Israel terram promissionis accepissent, salvata est illa cum domo, et genere suo. At quomodo, si pauper? pauper erat talis et Lazarus, et quantam ille sapientiam, ac patientiam in extremis ostendit, licet nihil eum in tanta necessitate leniret? Iam si mulieri quis deditus sit? an non et Sampson? nam licet a muliere sit proditus, tamen ipsi Deus dedit, ut se de alienigenis ulcisceretur. Sed quid si amas filios? amabat et Iacob. Sed tentaris? tentabatur et Iacob. Vides, quod salvati sunt. Habes fidem? licet rex sis, non tibi proderit regnum. Sed ne promissionis obliviscar, vocatus est autem et Iesus ad nuptias. Ita nemini deest Christus, seu coniugato, seu virgini, modo et ipsum invitet, habebit et Christum assessorem, cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XIII.

Prosequimur eiusdem evangelii paraphrasim, ex variis sanctorum Patrum doctrinis, et aliis a nobis excogitatis.

Illa iam veniunt explicanda verba: *Deficiente vino.* Arbitror sane, non propter intemperantiam, sed ob multitudinem convivarum vinum defecisse: nec enim mihi persuadere possum, praesentibus Iesu, et Maria, ebrietatem in eo convivio dominatam, quam grave peccatum esse, non tantum divina eloquia, sed et ipsum lumen rationis humanae naturae infusum abunde attestatur. Ipsi etiam Gentiles tum philosophi, tum oratores, quibus rationibus, et invectivis hoc vitii genus non sunt insectati? certe sola exempla, quae in Scriptura habemus, horrorem nobis incutere deberent: quid enim mali hoc vitium in orbem terrarum non invexit? ebrietas Noe patriarchae, licet ignoranter, idque sine peccato commissum fuerit, causam tamen, sive occasionem praebuit, ut tertia pars orbis terrarum malediceretur, quae maledictio an hucusque in posteris Cham, et Canaam duret, is, cui nihil est occultum, novit conditor Deus. Similiter Loth dolo, et astutia filiarum inebriatus, bis turpissimum incaestum commisit: unde gentes Deo, et Israeli invisae, et scandalosae exortae fuerunt. Ecce filiae Loth ebrietate furatae sunt concubitum patris, et quem Sodoma non decepit, ebrietas fefellit, et quem sulphurea flamma non ussit, mulierum flammis fuit exustus. Haec ipsa ebrietas fratricidii causa fuit, quando Absalon fratrem suum Amnon, filium primogenitum David, temulentum trucidare praecepit, qui si ebrius non fuisset, non cecidisset. Simon rex ex Machabaeis strenuissimus, et filii ipsius ebrii, fraude filiii Ahobi occisi sunt.

Hinc celebris ille rex Alphonsus, cum interrogaretur, cur vini expers viveret, aut vino dilutissimo contentus sitim expleret contra omnium regum, et aulicorum morem? respondit, vino sapientiam obscurari, ideoque non decere regem, ut hanc immodica compotatione in animo extinguat, sine qua imperatoris, et regis nomen rite tueri non possit. Leontychidae etiam percontanti viduam, quam ob rem Spartiatae parcissime biberent: *Ne*, inquit, *pro nobis alii, sed nos potius pro aliis consultemur.* Salse notavit, vinosos non esse ad consultandum idoneos, quia sapientiae, ac salubrium consiliorum parens est sobrietas. Pescennius niger non modo sapientiae, et consiliorum ministris, intemperantiam, quae potissimum in vini bibacitate consistit, sed etiam militibus interdictam esse voluit, quod scilicet, illa exmilites faciat: nam in expeditione Aegyptiaca vinum ab eo petentibus: *Nilum habetis*, inquiebat, *et vinum quaeritis?* Docuit violentiam militibus fugiendam esse, ceu pestem aliquam, qui tum demum ad res gerendas prompti sunt, cum ratio mero non pervertitur, pudicitiam an eripiat, et ex homine belluam, ex foemina lupam an faciat? illud est argumento, quod Romanis mulieribus, temetum vel gustasse capitale fuerat.

Refert Polyaenus Bacchum hoc stratagemate Indos devicisse, cum adversus eos expeditionem faceret, ut eum civitates reciperent. Perspicuis, ac manifestis armis exercitum non armavit, sed vestimentis exilibus, et pellibus cervinis: hastas autem haedera cinxit, summam cuspidem occupabat thyrsus. Cymbalis, et tympanis pro tuba signum dabat, et hostes vino inebrians, ad saltationem impellebat; et quaecumque alia sunt orgia Bacchi, omnia fuerunt ipsius stratagemata, quibus Indos, aliamque terram in suam potestatem redegit. Eodem stratagemate utitur et satan in subigendis hominibus. Temetum propinat, ut scelere inquinatos tandem sui faciat iuris, et in mortem impingat. Terribile est, quod apud divum Augustinum lego de filio cuiusdam Cyrilli Hypponensis, quem cum pater corrigere negligeret, ipse luxuriose vivens, consumpsit partem bonorum suorum: ebrietatem deinde semel perpessus, matrem praegnantem nequiter oppressit, sororem violare voluit, patrem occidit, et duas sorores vulneravit ad mortem. Vide quam execranda peccata ebrietas unius pepererit. Praeclare ergo Hugo Victorinus de ebrietate dixit: *Ebrietas mater est litium, furorum generatrix, petulantiae magistra; quae iudicium rationis offuscat, robur, et naturalem virtutem enervat, infirmitatem generat, rebus temporalibus spoliat, mortem naturalem, et divinam maledictionem adducit. Hanc qui habet, audis, et intelligis, homo non est: hanc qui habet, non solum peccatum facit, sed ipse est peccatum; haec enim est rabies voluntaria, invitatus hostis, illecebra honestatis, pudoris iniuria. Haec ubi regnat, ratio exulat, intellectus obtunditur, consilia deviant, iudicia subvertuntur. Haec in laico crimen est, in sacerdote sacrilegium: quia alter animam suam necat vino, alter spiritum sanctitatis extinguit.* His non dissimilia sunt verba illa d. Augustini ad sacras virgines: *Ebrietas est flagitiorum omnium mater, culparumque materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, subversio sensus, tempestas linguae, procella corporis, naufragium castitatis, amissio temporis, insania voluntaria, ignominiosus languor, turpitudo morum, dedecus vitae, honestatis infamia, animae corruptela.*

Verum quia si omnia mala, quorum ebrietas fons, et scaturigo esse perhibetur, recensere voluissem, in longum abiisset oratio; frequentiora tantum brevi eloquio complectar. Luxuriae in primis, et rixarum matrem esse, Salomonis verba (*Prover.* 20) attestantur: *Luxuriosa res, vinum; et tumultuosa ebrietas.* Quod satis expertus fuit Loth, ut supra dicebam. Sensum deinde hebetat: *Palpabunt quasi in tenebris, et non in luce, et errare eos faciet, quasi ebrios*, (*Tob.*12). A mente etiam frequenter alienat: *Fornicatio, et ebrietas auferunt cor*, (*Osee* 4). In superbiam extollit: *Veh coronae superbiae, ebriis Ephraim*, (*Isai.*28). Iracundiam inflammat: *Mulier ebriosa, ira magna* (*Eccles.*26): non ait, habere iram, sed esse ipsam iram. Penuriam, et paupertatem non semel parit: *Operarius ebriosus non locupletabitur*, (*Eccles.*19). Tam longe etiam abest, ut sitim extinguat, ut instar hydropisis sitim accendat, et ad frequentem potum provocet, ut verba Isaiae satis indicant (*cap.* 15): *Veh qui surgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam.* Ac tandem illud magni momenti nocumentum ebrietas parit, quod facile secreta revelat: unde (*Proverb.* 31) legimus: *Noli regibus dare vinum, o Samuel, quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas.* Ad quod alludens Habacuch (*cap.* 2): *Veh*, inquit, *qui potum dat amico suo, miscens fel, et inebrians, ut aspiciat nuditatem eius.* Quare sicut lapis *Quirinus* nuncupatus, in nidis upuparum, quae sunt aves immundae, inventus, si apponatur capiti dormientis, compellit, dormiendo propalare secreta, ut auctor est d. Isid. id referente Bercorio verbo, Ebrietas, non dissimiliter ebrietas, quae nonnisi in nidis immundorum hominum invenitur, quaevis arcana cordis, et abscondita sua gesta palam omnibus facere impellit, ut egregie praefiguratum legimus (*Gen.* 9) in Noe, qui inebriatus ita discooperuit se, ut secretissima pudenda manifestaret. Quid plura? Certe, ut paucis multa dicam, ebrietas mentem excaecat, memoriam aufert, voluntatem laedit, animam maculat, sensum dissipat, linguam effrenat, vitam minuit, et quandiu durat, vehementer adeo ad libidinem excitat, ut divus Hieronymus (*ad Furiam*) dixerit: *Non Aethnaei ignes, non Vulcania tellus, non Vesuvius, et Olympus tantis ardoribus aestuant, ut iuveniles medullae vino plenae, et dapibus inflammatae.* Unde Valerius Maximus (*de memor. dict. et Roman. lib.* 3) dixit: *Vini usus Romanis foeminis ignotus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur, quia proximus a libero patre intemperantiae gradus, ad inconcessam Venerem esse consuevit.*

Ad extremum, ut clare agnoscas quantum virtuti famae, rebusque omnibus ebrietas, et intemperantia noceat, revoca in memoriam verba Salomonis (*Proverb.* 23) in hunc modum loquentis: *Noli esse in conviviis potatorum, et eorum qui carnes ad vescendum conferunt, quia vacantes poculis, et dantes symbola consummentur, et vestietur pannis dormitatio*: et infra: *cui veh? cuius patri veh? cui rixae? cui fovea? cui sine causa vulnera? cui suffossio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis?*

Deficiente vino. Defecit in nuptiis Canae vinum; in nuptiis autem Ecclesiae, ut deficiat, fieri nequit. Dici nunquam poterit de Ecclesiae convivis: *Vinum non habent.* Septem enim sacramentorum vasa pretii summi impleta sunt usque ad summum. Mira virtus rubri vini sanguinis Christi in eis ebullientis semper adest,

immo et in Eucharistiae sacramento non tantum virtus, sed ipsissimus Iesu sanguis reipsa praesens est. Unde et mirabilior haec censeri debet hydria, quam illa Canae Galilaeae: cum ibi aquae in vinum, quod ad libidinem excitare solet; hic vero vini in sanguinem, quem Zacharias (*c.* 9) vocavit, *Vinum germinans virgines*, conversio facta sit. Ex eo etiam mirabilior esse perhibetur, quia vinum illud Canae Galilaeae usu tandem consumptum fuit; sanguis autem Christi, quantumvis ab infinitis sumatur, nihil minuitur: quia, ut dixit d. Thomas in sua prosa:

Sumit unus, sumunt mille,
Tantum isti, quantum ille;
Nec sumptus consumitur,

sed usque ad extremos huius saeculi dies durabit haec Ecclesiae hydria. Quod autem dixit Christus ministris, *haurite*, nobis idem dicit: haurite pretiosum gratiae vinum ex sacramentis: haurite dulcissimum sanguinis mei nectar, quod in Eucharistia vobis propinatur: etenim quantumcumque hauriatis, nullo unquam tempore exhaurietis. Nec vero hoc tantummodo vinum Christus habet, sed aliud in fine reservat delectabilius: hic vinum propinat sui sanguinis non tam ad delectationem, quam ad incrementum spirituale: hic vinum donat gratiae; in finem autem vinum suavius reservat gloriae sempiternae. Gustato vino, dixit Architiclinus (*Ioan.* 2): *Omnis homo primum bonum vinum ponit, et cum inebriati fuerint, id quod deterius est;* at non sic Christus, quin potius bonum vinum suis semper convivis propinat: optimum vero ad delectationem in finem differt.

Vinum non habent. Verbum hoc multa Virginis encomia indicat, nam verbum est fidei confugientis ad Iesum, ubi alia humana praesidia desunt: verbum est etiam charitatis, quae non quaerit quae sua sunt, nec dubitat de potentia, ut ille qui dicebat (*Mar.* 19): *Si quid potes, adiuva nos misertus nostri*: neque de voluntate haesitat, ut leprosus qui dixit (*Matt.* 15): *Domine si vis, potes me mundare;* sed novit sufficere rem proponere amanti, sicut sorores Lazari (*Ioann.* 11): *Domine ecce quem amas infirmatur.* Verbum est prudentiae, quasi audisset praeceptum Domini (*Matth.* 6): *Orantes nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt, putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur;* sed satis illi fuit defectum vini indicare, iuxta illud (*Ps.* 36): *Revela Domino viam tuam, spera in eo, et ipse faciet:* nam Deus in hoc delectatur, ut agnoscamus defectus nostros. Docet etiam hoc verbo, ut si possumus, benefaciamus; si non possumus, precemur eos, qui possunt iuvare, vel saltem precibus obsecremus Deum, qui praestat quod nequit exhibere homo. *Vinum non habent.* Carnalibus deficit duplex vinum. Primum est fervoris virginitatis, de quo Zacharias (*c.* 9): *Quid bonum, et pulchrum, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines?* hoc est, mustum Spiritus sancti, quo qui inebriantur, adhuc uxorum obliviscantur. Hoc quidem vinum omnino tollunt carnales nuptiae, si abundant in eis aquae, idest fluxus voluptatis. Secundum vinum est gaudium, et consolatio vitae, de quo (*Eccl.* 9): *Bibe cum gaudio vinum tuum.* Istud quidem vinum in principio nuptiarum propinatur, sed deficit cito: succedit enim abundanter aqua tribulationis, sollicitudo scilicet mundi, tribulatio carnis, zelus inordinatus, onus debiti, anxietas educandae prolis, idest timor eventus eius, dolor orbitatis eiusdem. (*Mach.* 9) dicitur quod nuptiae Iambri conversae sunt in luctum, et vox musicorum in lamentum. Iambri interpetratur mare lacessens: amaritudo enim vitae matrimonialis mentem lacerat: etenim frequenter videmus principia nuptiarum laeta, veniente vero uxorum, et filiorum morte, ecce musica in luctum conversa.

Vinum non habent. D. Augustinus (*in comm. hui. loc.*) quod glossa ordinaria ibidem refert, hanc expositionem adhibet in haec verba: *In nuptiis vinum defecit, quia sensus legis per carnalem expositionem Pharisaeorum a sua prisca virtute coeperat deficere; sed Christus aquam in vinum convertit, dum quae carnalia videbantur, spiritualia ostendit: et superficiem literae plenam virtute coelesti videri fecit. Christus enim in prophetis nondum manifestatus, quasi vinum in aqua latuit; sed cum aperuit eis sensum, ut intelligerent Scripturas, ipsos vino inebriavit, et mentes a carne alienavit. Scripturae sunt lex, et Prophetae, et Psalmi: hae omnes secundum literam, aqua insipida, secundum spiritum, vinum sunt. Sex hydriae sex aetates, quarum nulli defuit prophetia; incipit enim ab exordio mundi, estque prima aetas ab Adam usque ad Noe: secunda, usque ad Abraham: tertia, usque ad David: quarta usque ad transmigrationem Babylonis: quinta, usque ad Ioannem Baptistam: sexta, usque ad finem mundi. In his ergo aetatibus erant hydriae, idest, quorundam hominum corda receptiva Scripturarum Dei, parata, et proposita in exemplum vivendi, et credendi: lapidea, idest fortia in Christo lapide, secundum purificationem Iudaeorum, idest, quia illi populo Iudaeorum lex data est, et gratia per Christum omnibus facta est. Videamus quae in singulis aetatibus, quasi hydriis, aqua fuerit, et quomodo in vinum mutata. In prima Abel a fratre occiditur, et hic poenam, ille laudem accipit. In hoc si quis innocentiam Abel sequitur, et malitiam Cain fugit, aquam abluentem, et reficientem bibit; si vero in eodem Christum a Iudaeis occisum intelligit, de aqua vinum bibit, sic in aliis omnibus huius aetatis. In secunda Noe in arca propter iustitiam salvatur, mundus diluvio perit: si quis hoc exemplo a vitiis se corrigit, aquam salutarem bibit; sed si in arca Ecclesiam, quae cuncta animalia, idest omnes gentes recipit, in aqua, baptismum intelligit, et cetera huiusmodi, vinum bibit. In tertia Abraham obediens pro filio offert arietem: qui hic discit obedientiam, bibit de tertia hydria aquam; sed si quis in Isaac deitatem, in ariete Christi carnem intelligit, vinum bibit. In quarta David humilis regnat, Saul superbus abiicitur: in hoc si quis discit humilia-*

ri, aquam bibit; si regnum Christi intelligit, vinum bibit. In quinta populus captivatur, post reducitur: hinc si quis discit poenitentia corrigi, aquam bibit: si quis de captivitate peccati, populum Dei per Iesum liberari intelligit, vinum bibit. In sexta Christus circumciditur, et offertur: in quo si quis discit, suis sacramentis subiici, sicut Christus, ille aquam bibit; si vero in octava, depositionem totius mortalitatis intrationem ad Deum intelligit, vinum bibit; hactenus d. Augustinus.

Quid mihi, et tibi est mulier? Idem d. Augustinus (*hom. sup. haec verba*) evidenter refutat errorem illorum, qui ex his verbis colligunt, beatam Virginem non fuisse veram Christi matrem: verba sancto Patre digna haec sunt: *Tenemus duas sententias ab Evangelista prolatas: Erat ibi mater Iesu, Evangelista dixit: quid dixerit matri suae Iesus, ipse Evangelista dixit; et quomodo dixit respondisse matri suae Iesum, ut primo diceret: ait illi mater eius? videte fratres, ut adversus linguam serpentis munitam virginitatem cordis habeatis. Illic in ipso Evangelista narrante dicitur: erat ibi mater Iesu: et dixit illi mater eius. Quis hoc narravit? Ioannes Evangelista, et quid respondit matri Iesus? quid mihi, et tibi est mulier? quis hoc narrat? idem ipse Ioannes Evangelista. O Evangelista fidelissime, et veracissime, tu mihi narras, dixisse Iesum: quid mihi, et tibi est mulier? cur ei opposuisti matrem, quam non agnoscit? Nam tu dixisti, quia ibi erat mater Iesu, et quia dicit ei mater eius, et respondit ei Iesus: Quid mihi, et tibi est mulier? quare hoc? quia nisi utrumque verum est? Illi autem in eo volunt credere Evangelistae, quod narrat, Iesum dixisse matri: Quid mihi, et tibi est mulier? et in eo nolunt credere Evangelistae, quod ait: erat ibi mater eius. Quis est autem, qui resistit sapienti, et tenet veritatem? cuius virginitas cordis non corrumpitur astutia diaboli? Qui utrumque verum credit, et quia erat ibi mater Iesu, et quia illud respondit matri Iesus: sed si nondum intelligit, quemadmodum dixerit Iesus: quid mihi, et tibi est mulier? interim credat, quod dixerit, et quod matri dixerit. Sit primo pietas in credente, et erit fructus in intelligente. Interrogo vos, o fideles christiani: erat ibi mater Iesu? respondete, erat: unde scitis? respondete, hoc loquitur Evangelium. Nullus vobis corrumpat hanc fidem, si vultis sponso servare castam virginitatem. Si autem quaeritur a vobis, cur hoc matri responderit? dicat qui intelligit; qui autem non intelligit, firmissime tamen credat, et hoc respondisse, et tamen matri respondisse Iesum. Hac pietate merebitur etiam intelligere, cur ita responderit, sic orando pulset, et non rixando accedat ad ostium veritatis. Tantum caveat, ne dum se putat scire, aut erubescit nescire, cur ita responderit? cogatur credere, haud Evangelistam fuisse mentitum, qui ait: Erat ibi mater Iesu.*

Nondum venit hora mea. D. Chrysost. (*in com. hui. loc.*) in hunc modum haec verba interpretatur: *Nondum venit hora mea, idest, nondum cognitus sum his, qui adsunt, sed neque sciunt, quoniam defecit vinum. Sine eos primum hoc sentire: qui enim necessitatem non praesentit, neque beneficii grandem suscipiet sensum.* At d. Gaudentius (*tract.* 2) hoc modo illa eadem verba exponit: *Non mihi videtur illa responsio ad istam suggestionem Mariae sensibiliter convenire, nisi in mysterio locutus esse spiritualiter Dominus dicatur: ut quoniam vinum Spiritus sancti ante passionem Christi, ac resurrectionem gentibus dari non poterat, Evangelista testante: nondum erat spiritus datus, quia necdum Iesus fuerat glorificatus; merito tunc fuerat inter initia signorum, dum matri respondit: quid mihi, et tibi est mulier? nondum venit hora mea. Tanquam si diceret: quid tam praepropera es, o mulier, suggerendo, cum hora passionis meae nondum advenerit? quia perfectis omnibus, vel doctrinae, vel operationum divinarum virtutibus, pro vita credentium mori disposui: post passionem, resurrectionemque meam, cum ad Patrem rediero, tunc eis donabitur vinum spiritus. Quapropter, et ipsa beatissima, agnito responsionis huius profundo mysterio, intellexit, non suggestionem suam praesentem, aspernanter acceptam, sed secundum illam spiritalem rationem in mysterio tunc dilectam.*

Sed divus Augustinus (*in haec eadem verba, Nondum venit hora mea*) haec notanda scripsit: *Hic inveniunt mathematici occasionem fallaciae, quia dixit: nondum venit hora mea. Dicunt enim: vides quia sub fato erat Christus, quia dixit: nondum venit hora mea. Credant autem Deo dicenti: potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam, et quaerant, quare sit dictum: nondum venit hora mea, nec ideo iam sub fato ponant conditorem coeli: quia si esset fatum de syderibus, non poterat esse sub necessitate syderum conditor syderum; quod non solum Christus non habuit, quod appellas fatum, sed nec tu, aut ille, aut quisquam hominum. Quare ergo dixit: nondum venit hora mea? quia in potestate habebat, quando moreretur, sed non videbat esse opportunum, ut illa potestate uteretur vocandi discipuli. Annunciandum erat regnum coelorum, faciendae erant virtutes, commendanda erat humilitas Domini ipsa compassione mortalitatis. At ubi tantum fecit, quantum sufficere iudicavit, venit hora, non necessitatis, sed voluntatis; non conditionis, sed potestatis;* hactenus divus Augustinus.

Verum et alia praeclara multa, quae tradit divus Ioannes Chrysostomus (*homilia secunda super eadem verba*) non sunt silentio praetereunda: *Neque enim*, inquit, *parva nobis hodierna die proponitur quaestio: nam cum mater dixisset: vinum non habent; respondit Christus: Quid mihi, et tibi est mulier? nondum venit hora mea; et licet ita responderit, maternis tamen votis obtemperavit. Haec nulla ex parte minor est quaestio, quam superior, de qua non immerito sit dubitandum. Cum igitur ipsum, qui miraculum operatus est, invocantes, ad huius loci expositionem veniamus, neque hoc tantum in loco dictum est: nondum venit hora mea, sed et alias; nam cum capere eum Iudaei non possent, inquit Evangelista: Nondum venerat hora eius; et iterum: Nemo misit in illum manum, quia nondum venerat hora eius, et iterum: Pater venit hora, clarifica filium tuum. Quidnam*

ista significant? Idcirco plures in eandem sententiam textus adduximus, ut omnibus solutio afferatur. Quae igitur ea est? nulli temporum necessitati Christus subiectus est, nec ob temporis observationem nondum horam suam venisse dicebat. Anne temporum opifex, et auctor saeculorum tempora observaret? Ostendit autem omnia debito tempore, non simul operata, quoniam inordinata quaedam confusio fuisset, nisi opportune omnia transegisset : et infra ait: *Cur autem cum horam suam nondum venisse dixerat, implevit matris voluntatem? maxime quidem, ut contradicentibus, et momentis temporum eum subiectum existimantibus, palam non rectam eorum sententiam ostenderet: nam si tempori subiiceretur, quo pacto immature id fecisset? Praeterea, ut matri honorem exhiberet, et non omnino contumax videretur matri tot praesentibus, neve impotentiae argueretur;* hactenus divus Chrysostomus.

Quodcumque dixerit vobis, facite. Sanctus Gaudentius (*in com. hui. loc.*), ut refertur in Bibliotheca SS. PP. dom. 1. post Epiphaniam, in hunc modum loquitur: *Nunquam mandaret ministris, quodcumque dixerit vobis, facite, nisi Spiritu sancto post partum divinum plena, non solum responsionis Christi virtutem cognovisset, verum etiam futuri ab eo, tunc ex aqua vini, universum ordinem praevidisset. Quid enim lateret sapientiae matrem, capacem Dei aedem, dignissimam tantae virtutis, veritate facti historialiter approbata?* Euthymius putat, Deiparam ministros monuisse, ut miraculum cum ipsa peterent; sic enim scribit: *Virgo mensae ministros admonet, ut sibi adsint, et ipsi quoque alio modo cum ea deprecentur.* Divus Chrysostomus vero existimat, Deiparam Virginem ministros ad Christum duxisse: *Maria*, inquit, *ministros ad filium duxit: expectavit, et palam ministros accersivit, ut a pluribus rogaretur; et addidit : Quodcumque dixerit vobis, facite. Noverat, non esse imbecillitatis excusationem, sed ne fastu quodam temere id suscipere videretur, quam ob rem ministros adduxit.* Divus quoque Bonaventura (*in libro de vita Christi cap.* 20) haec verba Virgini attribuit: *Ite ad filium meum, et quicquid vobis, praeceperit, exequimini. Quodcumque dixerit vobis, facite. Timebat enim beata Virgo, ne ministrorum incredulitas, vel obsequium, non prompte exhiberet, maxime si quid inconsuetum praeciperet, amentiae deputarent, quod miraculum vel impediret, vel retardaret. Quodcumque ergo, sive facile, sive difficile, sive sensui repugnet, facite.* Ut enim Naaman Syrus extra rem esse iudicabat lavari septies in Iordane, servi autem opposuerunt se, ei persuadentes, ut obediret verbo prophetae; ita et beata Virgo ne ministris extra rem esse videretur, si aqua implere hydrias a filio suo iuberentur, monet illos : *quodcumque dixerit vobis, facite.*

Erant autem hydriae lapideae sex, positae secundum purificationem Iudaeorum, capientes singulae metretas binas, aut ternas. Magna apud eruditos de metretis istis quaestio oritur, et profecto altercatio non est magni momenti. Fatentur enim vasa esse aperta, et ampla. Budaeus ait, metretam habere congios decem; haeret Budaeo Iansenius. Hauriunt vero isti, quod nobis de metretis propinant, ex Dyoscoride (*lib.*5). Eruditus hic auctor ita habet: Metreta continet congios decem; congius autem continet sextarios sex : secundum Adrianum Iunium, metreta continet duo lata, vel paulo amplius. Nicolaus Zegerus ait, se vidisse Tongris hydriam, quae cinerei erat coloris, cuius generis sunt, et Coloniae, quae quatuor potos, seu duo lota tenebant. Colligit autem doctissimus Maldonatus (*in c.* 2. *Ioan.*), facta computatione, trigintasex arrobas vini, ut Hyspani vocant, Christum Dominum suo miraculo fecisse: verba eius sunt haec : *Invenio hydrias singulas tertiam circiter, aut tertiam, partem parisiensis modii vini habuisse, idest, sex fere, quas hyspani, orrobas vocant, si binas metretas capiebant, novem vero, si tres. Itaque ut minimum, trigintasex arrobae optimi vini eo miraculo a Christo factae sunt; quae ad inebriandos sexcentos homines moderati potus satis erant. Voluit enim Christus non solum praesenti inopiae subvenire, sed multum etiam vini sponso remanere, tum ut illius paupertatem sublevaret, tum ut diuturnum testimonium, ac monumentum esset facti miraculi.*

Quare autem harum hydriarum meminerit Evangelista, easque tam diligenter Ioannes enumerarit, et descripserit, paucis dicemus. Quod numerum, et magnitudinem hydriarum describit, non solum facit ad certitudinem miraculi, sed etiam ad commendationem magnifici doni : nisi enim tam magnae, ac capaces fuissent hydriae, potuisset aliquis suspicari, forsan clam ab aliquo allatas fuisse hydrias illas plenas vino. Verum quoniam tam capaces describuntur, nullus locus relinquitur suspicioni. Iam facit et hoc ad miraculi magnitudinem, et certitudinem, quod prius nullum fuerat vinum in vasis illis: nam hydriae erant, non vasa vinaria. Postremo, quod Christus tanta vasa vino impleverit, testatur luculenter liberalitas eius. Hinc est quod hydriae graece, latinae aquales dicuntur, idest, vasa aquae destinata, quibus vinum infundi non solet. Erant autem vasa huiusmodi sex lapidea, posita, idest, quae non circumferebantur, sed certo in loco constituta aquam continebant; ex quibus aqua minoribus vasis hauriebatur, ob idque lapideae erant, et valde capaces. Erant autem hydriae propter Iudaeorum purificationem, quibus moris erat, in conviviis frequenter purificari, et in hos usus magna copia aquae in capacioribus illis vasis reservabatur. Haec purificatio illa est, de qua (*Marci c.* 7): *Pharisaei enim, et omnes Iudaei, nisi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum, et a foro nisi baptizentur, non comedunt, et alia multa sunt, quae tradita sunt illis servare, baptismata calicum, et urceorum, et aeramentorum, et lectorum.* Harum ergo purificationum causa erant hydriae istae expositae : quae quidem purificationes non erant ex lege, sed ex seniorum traditione. Aliae purificationes legis erant, ab immunditia, ex tactu morticinii, aut leprosi, aut seminis pollutione contracta; et ab his non purificabantur aqua, sed ad vesperam usque haec immundities perdurabat. Perpende, quam sapienter, et consulto Dei filius, miraculum in sui manifestationem facturus, vasa aquae destinata elegit, ne quis vinum in vasis, non autem de novo factum fuisse, aut vini partem aliquam, quae superinfusae aquae saporem vini intenderit, ibi reservatam existimaret : quippe vasa aquam recipere solita hanc tollebant suspicionem. Vasa etiam elegit capacia, et magna in eodem loco fixa, hinc inde gestari insueta, ut plena vino, aliunde portata nemo sibi persuaderet, atque ut copia tanti vini aperte, et sine contradictione miraculi virtutem probaret, et pluribus communicata magis divulgaretur, ob id, haec vasorum magnitudo ponitur. Capiebant singulae hydriae metretas binas, vel ternas, ut sermo iste non ad easdem, sed diversas referatur, ita ut aliquae hydriae binas, aliquae ternas habuisse dicantur metretas; metreta autem secundum alienos, duodecim congios continebat; congius autem sex sextarios: apud Romanos quidem viginti uncias continebat; apud Atticos vero duodeviginti: tantus erat etiam sextarius hebraicus. Continebat igitur metreta septuaginta duos sextarios, et singuli sextarii duo et viginti uncias. Ex quo facile est cuique quantum hydriae caperent, computare.

Dicit ei Iesus : Implete hydrias aqua. Iam enim convivii maiore parte peracta, consequens erat, ut propter frequentes purificationes vasa fere essent vacua. Hac igitur de causa Christus illas impleri iubet: potuisset quidem Dominus, nulla aqua prius infusa, vino ea implere; tamen ut certius miraculum fieret, et ministros ipsos tanti miraculi testes haberet, aquam manibus eorum infusam, in vinum maluit convertere. Et ut divus Chrysostomus (*ho.* 26) annotat : *Ne ulli calumniae locus pateret, Christus aqua usque ad summum vasa, quae soli aquae deputata erant, impleri voluit.*

Cum autem Evangelista ait: *Dicit ei Iesus: Implete hydrias aqua, et impleverunt eas usque ad summum*, intelligendum est Christum locutum non ad discipulos suos, sed ad ministros, qui ministrabant mensis, ad quos Maria gloriosissima virgo prius dixerat : *Quodcumque vobis dixerit, facite.* Ministri itaque impleverunt hydrias usque ad summum. Vide rursum, quam prudenter hic omnia fiant, et quam diligenter omnia descripta sint, ne quis ullo modo cogitare possit Christum populo fucum fecisse. Potuisset quidem non difficilius creare vinum Christus, et sic hydrias implere, quam potuit aquam in vinum convertere; sed hoc non fuisset tam manifestum: aut enim populus fuisset suspicatus, antea fuisse hydrias vino aliunde apportato repletas; aut certe non operante Christo, sed aliquo alio miraculo hoc factum. Verum talibus frivolis cogitationibus nullus relinquitur locus : ministri enim ipsi vident, nihil reliquum esse in hydriis, easque implent aqua, et implent usque ad summum. Quod rursum fit, ne quis opinetur, vinum aquae fuisse admixtum: nam si Iudaei, sive reliqui hospites contumaciores fuissent ad credendum, potuissent ministri testimonium perhibere. Sed iam causam affer, quare maluerit Christus aquam in vinum convertere, quam absque aqua vinum creare. Respondet s. Chrys. *Nam cum sint nonnulli haeretici, qui alterum mundi opificem, quae videntur opera condidisse asseverant, horum insaniam cohibens, plura facit miracula ex subiectis substantiis : nam si ipse Deo contrarius opifex fuisset, non utique alientis usus esset Christus ad propriae virtutis demonstrationem. Hoc autem miraculo,* sicut paulo post dicemus, *manifeste ostendit, se eum esse, qui vineas irrigat, pluviam per vitis radicem in vinum vertit, cum quod in planta longiori temporis spatio fit, id repente in nuptiis operatus est.* Quomodo vero hoc miraculum innotuit, explicemus. Illud enim, quia ad omnipotentiam Christi Domini commendandam multum facit, silentio non praeteribo, nimirum opus non fuisse illi ad hydrias accedere, aut illas contingere; sed ex mensa, in qua sedebat, ab hydriis distans, nec tactu, nec corporeo visu perceptam aquam, divina potentia ad omnia pertingente, in vinum transmutavit. Natura unius anni eget spatio, ut in vite vinum efficiat : pampanos in primis, racemos postea producit; ii vero praelo compressi, nondum defoecatum vinum, sed mustum emittunt. At Christus non anni, non horae, non quadrantis indiget spatio, non racemis habet opus; subito in hydriis absque ullis botris, non mustum, sed defoecatum ac suavissimum vinum efficit. Torcularis instar fuere hydriae, botrorum instar aqua. Cum secundis causis pro illarum modo, ac ratione lente Deus operatur, abque illis momento temporis, quod vult, perfecit. Ipsemet, qui in vite lento quodam concursu producit, in hydriis velocissimo temporis puncto vinum protulit.

Ceterum iam in id nonnullos audiamus patres. D. Gaudentius (*tract.*2) versans proposita verba, *Erant lapideae hydriae ibi sex, positae secundum purificationem Iudaeorum, capientes singulae metratas binas, vel ternas*, in hunc modum loquitur: *Iudaei id moris habebant, ut priusquam synagogam ingrederentur, et de publico, regressi domum, priusquam pranderent, cutem corporis sui aqua abluerent. Erat autem mensura aquae ad abluendum corpus sufficiens, vel duae metretae, vel tres, idest, amphorae duae, vel tres, pro quantitate scilicet magnitudinis corporum. Non possum parcere, transiens purificationem Iudaeorum, qui dum immunda, et polluta lavans corpora, abluta statim polluunt: semper lavant, semper impuri sunt, et ut dici solet, laterem lavant, illum nempe laterem, quem paraverunt in Aegypto Pharaoni; diabolo exhibentes seipsos arma iniquitatis peccato ad constructionem hostilium civitatum. Terrei enim sunt, et igneo Spiritus sancti calore nequaquam solidati. Quapropter usquequo deliquescant in mortem, laterem suum non desinunt lavare polluendum; quinimmo porcorum more, de aqua in coenum redeunt. Isti sunt porci, quos iratus Dominus legioni daemonum tradidit, ut praecipitarentur in lacum, morte necandi perpetua. Fugite immunditiae exemplum Neophyti, ne poenae participes existatis. Unum baptisma nobis Apostoli iuxta divinam sententiam decreverunt. Ait enim : Qui biberit ex ista aqua, non si-*

tiet in aeternum. Abluti semel estis baptismo salutari, nolite de fonte in coenum regredi, servate donatam munditiem; hactenus divus Gaudentius.

Nunc accipe egregiam solutionem illius quaestionis, quam proponit, et solvit divus Chrysostomus (*hom.*2. *de his nuptiis*) agens in haec verba : *Sed quanam gratia , antequam implerentur, non fecit miraculum, quod longe fuisset admirabilius? Siquidem aliud est, subiectae materiae qualitatem mutare , aliud ipsam substantiam ex nihilo facere ; hoc profecto mirabilius, non tamen ita credibile, quod nihilominus facile potuisset multitudini persuaderi; hoc gratia miraculorum nonnunquam magnitudinem consulto imminuit, ut facilius crederentur. Sed cur ipse hydrias aquae non implevit, deinde in vinum vertit, sed ministris implendas mandavit ? ipsam eandem ob causam, ut miraculi ipsos testes haberet, qui aquam hausissent, ne qua fraus, neque praestigium putaretur. Nam si contumaciores fuissent ad credendum , potuissent ministri testimonium perhibere, se aquam hausisse, et hydrias implevisse. Accedit ad hoc, quod Haereticorum dogmata in Ecclesiam pullulantia propter hoc evertuntur. Nam quum sint nonnulli , qui alterum mundi opificem, quae videntur opera condidisse asseverant, horum quoque insaniam cohibens , plura facit miracula ex subiectis substantiis: nam si ipse Deo contrarius opifex fuisset , non utique alienis usus esset Christus ad propriae virtutis demonstrationem. Hoc autem miraculo manifeste ostendit , se eum esse qui vineas i rigat , pluviam per vitis radicem in vinum vertit, quum quod in planta longiori temporis spatio efficitur, id repente in nuptiis operatus est;* hactenus divus Chrysostomus. Si autem in has hydrias allegoriam desideras, en divus Gaudentius (*tra.* 2) haec habet : *Sed iam videamus , quae sint apud gentes per allegoriam sex illae hydriae lapideae , capientes singulae metretas binas , et ternas. In unoquoque hominum sex quaedam inesse numerantur : visus oculorum , auditus aurium, odoratus narium, loquela oris, attrectatio manuum, incessus pedum. Haec omnia cum essemus gentes, lapidea erant in nobis , et mortua, sicut sanctus propheta David execrando testatur: simulacra gentium, argentum, et aurum, studio tacuit ceteras viliores materias metallorum , ut in pretiosis multo magis damnaret et vilia. Simulacra ergo gentium, ut quo sensu vituperata sunt, edicamus , quando satis opulentos fabricatores habuerunt. Erunt, inquit, insensibilia metalla, argentum, et aurum, opera manuum hominum. Os habent. et non loquentur , oculos habent , et non videbunt , aures habent , et non audient, nares habent, et non odorabunt, manus habent, et non palpabunt, pedes habent, et non ambulabunt; et quid? Similes illis fiant, qui faciunt ea, et omnes, qui confidunt in eis. Ergo unum consideremus in Idolis, erant in nobis isti sensus sex, iuxta sententiam prophetae, emortui , atque lapidei, sine officio, sine motu congruo , sine officio competenti ; sed mox ubi in Deum vivum a simulacris mortuis conversi credidimus, vivificati sumus audientes ab ipso : Quia ego vivo, et vos vivetis ; et iterum: ego sum resurrectio, et vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet, et omnis , qui vivit hoc est, quod iam credit , si usque in finem crediderit, non morietur in aeternum. Conversi igitur ad fidem, et vivificati per baptismum, oculos levamus ad Dominum, odorem notitiae eius insatiabili spiritu trahimus, taciloque testamur affectu. Odor unguentorum tuorum super omnia aromata: lectiones divinas aure percipimus, ore Dominum confitemur, laudamus , benedicimus , obsecramus , manus supplices ad coelum tendimus, pedibus ad Ecclesiam currimus , et unam Trinitatis deitatem flexis ad terram genibus adoramus:* haec divus Gaudentius ; cuius aliam egregiam allegoriam in eodem tractatu secundo lego, dum ait: *Videamus hydriae nostrae, quas metretas singulae capiant, vel binas, vel ternas. Sanctus apostolus Paulus scribens ad Corinth. inter cetera spiritualium genera virtutum, quae aboleri profectu meritorum necesse sit, aut mansura in aeternum, tria haec perhibet: Spem, fidem, et charitatem: Manent, inquit, spes, fides, et charitas, tria haec: maior autem horum est charitas. Fides est , qua Trinitatem unius substantiae confitemur. Spes est , qua resurrectionem carnis, et praemia pro meritis futura speramus. Charitas est, qua ita Christum diligimus, ut pro eius nomine interfici aequo animo patiamur. Sed quia omnes in fide apostolica baptizati credunt quidem in Trinitatem, et sperant futura; non tamen omnes cum sancto apostolo ex affectu dicere possunt: Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum , an gladius ? idcirco quaedam hydriae nostrae binas metretas capiunt, quaedam vero ternas etiam. Largiatur autem Dominus Iesus dives in omnes , qui invocant eum , ut ternas metretas perfecti in charitate eius, etiam sine aperto persequutionis praelio capiamus , ut in dilectione Dei paratis mentibus ad omnem praesentium poenarum tolerantiam constantes possimus ex occulti certaminis triumpho illustrem coronam victricis conscientiae promereri :* hactenus divus Gaudentius.

Haurite nunc et ferte Architriclino.

Quis fuerit iste Architriclinus, non est una omnium sententia: nam Lyranus (*in caput secund. Ioan.*) putat fuisse principaliorem, qui inter convivas sedebat ; verosimileque sibi videtur fuisse sacerdotem aliquem vocatum ad benedictionem mensae. Sanctus Thomas ibidem huic sententiae adhaeret, dicens, Architriclinum fuisse principem inter convivas, idest primum illorum , et ideo tanquam primo inter discumbentes , iussisse Christum Dominum prius vinum propinari quam reliquis. Verum divus Chrysostomus , et Euthymius putant Architriclinum praefectum fuisse ministris convivii , qui debito ordine fercula in mensam inferri curabat, et ideo mensae non accumbebat. Adnotat divus Chrysostomus propterea Christum iussisse , vinum gustandum prius dari Architriclino, quam reliquis: tum quia ad officium Architriclini pertinebat probare vina, quae propinabantur. Unde ut recte adnotavit cardinalis

Caietanus hic, non dixit Evangelista: bibit vinum, sed gustavit, ad significandum officium Architriclini, quia cum nondum epulatus fuisset, et sobrius esset, melius de praeexcellentia vini sententiam ferre poterat : miraculum enim Christi sobrium exposcebat iudicem.

Ut autem gustavit Architriclinus aquam vinum factam. Divus Chrysostomus (*homilia secunda*) super haec verba ait: *Venit Iesus in Cana Galilaeae , ubi fecit aquam vinum. Neque simpliciter vinum, sed optimum: eiusmodi enim Christi miracula, ut quam quae natura perfecta sunt, longe pulchriora, melioraque reddantur : ita et in aliis distortum membrum, quam sana, validius reddebat. Quod autem et vinum optimum esset factum, non ministri tantum, sed et sponsus, et Architriclinus perhibuere testimonium quod a Christo factum fuerit :* et paulo inferius ad sensum moralem hanc conversionem referens inquit: *Nunc etiam in praesentia lascivas, et infirmas hominum voluntates mutare non desinit. Sunt enim plerique hominum nulla aqua meliores, frigidi, fluentes, semper mutabiles; huiusmodi homines ad Dominum adducendi sunt , ut eorum voluntates in vini similitudinem transferat , ne amplius labantur , sed praeteritorum compuncti sibi, et proximo laetitiae efficiantur auctores. Sed quinam sunt hi frigidi ? qui fluxis praesentis vitae rebus incumbunt : qui non contemptis humanis saeculi deliciis, gloriae, potentiae , divitiarum sunt amatores. Haec enim omnia fluxa, et caduca sunt, et nusquam consistentia , quae in praeceps semper celeri impetu deferuntur. Siquidem qui hodie dives est , erit pauper: qui hodie in curru, praecone , lictoribusque, et apparitoribus comitatus magistratum gerit , postridie nonnunquam in carcerem intruditur; et velit nolit aliis omnia relinquit. Qui in deliciis vitam agit, qui conviviis dissolvitur, pene crapula ventrem disrumpit, ne iure quidem potest in eadem satietate permanere, sed concocto cibo , iterum ad id compellitur , nihil a torrente differens : nam quemadmodum in eo prior fluxus alio superincumbente urgetur, ita et nos alio post alium cibo indigemus.*

Omnis homo primo bonum vinum ponit, deinde quod deterius est: existimo id fieri solitum, quoniam in principio convivii sensus aptior , et acrior est ad iudicandum de sapore vini ; postea vero potu , ciboque hebescit. Quia tamen satis verisimile est , vinum illud quod tantopere Architriclinus laudaverat ex aqua factum fuisse , omnes convivas ad hydrias accurrisse, ut viderent , an ita esset , et oculis sibi fidem facerent, ideo elegantes hos Sedulii versus tibi offero:

Implevit sex ergo lacus hoc nectare Christus,
Quippe ferax, qui vitis erat, virtute colona
Omnia fructificans: cuius sub tegmine blando
Mitis in occiduas enutrit pampynus uvas.

Ad extremum ex his verbis: *omnis homo primo bonum vinum ponit , et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est,* veritatem illam eruere licet, experientia ipsa satis comprobatam, quod si quid boni vini mundus habet , id initio convivii propinat, ut miseros inebriet convivas ; in finem vero amarissimas reservat faeces. Epulabatur quotidie splendide dives ille, cuius Lucas (*c.*16) meminit. Initio quidem convivii propinavit illi mundus suavissimum vinum, in finem vero acerbissima tormenta , sitimque amarissimam reservavit. Unde illud Abrahami responsum (*ibid.*): *Recordare, quia recepisti bona in vita tua, nunc autem cruciaris.* Primum ait: *Recepisti bona in vita tua,* id sane est, *omnis homo primum bonum vinum ponit :* deinde *nunc autem cruciaris* , hoc certe est, *et cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est.* Vide quam bonum vinum primum Assuerus rex posuerit Aman , (*Esther.* 3): *Rex Assuerus exaltavit Aman, et posuit solium eius super omnes principes , quos habebat : cunctique servi regis, qui in foribus palatii versabantur, flectebant genua, et adorabant Aman.* Ecce vinum suavissimum in principio epuli , finem expecta (*Esth.* 7) : *Suspensus est Aman in patibulo, quod paraverat Mardochaeo.* Quasnam faeces amariores patibulo potuisset miserrimus Aman post vinum suavissimum bibere ? laetissima sunt flumina amoenissimis undique ripis, pratisque circumdata, sed, ut Ecclesiastes ait (*c.* 1) : *Omnia flumina intrant in mare.* Quemadmodum fluminum laetissimorum finis , amarissimum mare est , ita laetissimi vini, quod mundus propinat , finis , amarissimae sunt faeces : *Ne intuearis vinum* , ait sapientissimus Salomon (*Proverb.* 23) , *quando flavescit, cum splenduerit in vitro color eius: ingreditur blande, et in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus,* idest basiliscus, *venena diffundet:* hic est sensus moralis : Cave tibi a mundi vino, hoc est a voluptate, quod splendet quidem, et flavescit, sed vase vitreo continetur, scilicet vita, quae vitri instar, facile frangitur. Ne intuearis vinum hoc, cum splenduerit in hoc vitro color eius: blande ingreditur, suave est palato, atque gutturi , at finem attende. In novissimo mordebit ut coluber , et sicut basiliscus venenum toto animo, corporeque diffundet. Itaque initio dulce est, ac suave, in fine coluber, ac basiliscus. Tu ne respice initii dulcedinem, respice, si sapis, finis amaritudinem.

Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilaeae. Ex hoc loco multi colligunt, Christum Dominum in pueritia nullum patrasse miraculum: alioquin Evangelista non dixisset, conversionem aquae in vinum initium fuisse signorum Iesus. Sed mihi firma haec illatio non videtur: quia sacer Evangelista loquitur de signis, et miraculis publice factis a Christo ad manifestandam mundo suae potentiae gloriam, ut subsequentia verba satis indicant: *Et manifestavit gloriam suam , et crediderunt in eum discipuli eius.* Inter haec autem publica signa primum omnium dicit Evangelista fuisse praesens miraculum , cum hoc tamen recte stat , quod in pueritia clam miracula patraverit, quorum solum parentes eius conscii essent, et nonnulli alii pauci. Unde cum d. Hieronymus (*ep.* 83. *ad Oceam.*), d. Epiphanius (*haeres.* 51), d. Ambrosius (*serm.* 19), d. Thomas hic, Tertullianus (*lib. de bapt. cap.* 9), Lyranus , cardinalis Caietanus, et alii (*in cap.* 2. *Ioann.*) communi consensu tradunt, hoc miraculum primum

omnium fuisse, quae Christus edidit; intelligendi sunt loqui de miraculis publice, non de secreto patratis. Unde d. Chrysostomus, qui hanc eandem, quam praedicti Patres, tenet sententiam (*homil.* 16. *in Ioann.*), versans illa verba Baptistae: *Et ego nesciebam eum:* in probationem illius hanc rationem adducit: *Si Christus notus fuisset, non dixisset Baptista: ut manifestetur in Israel, propterea veni baptizans:* et infra: *Si a pueritia miracula facere coepisset, non sane eum Ioannes ignorasset; nec reliqua multitudo indiguisset magistro, qui ipsum manifestaret. Nunc autem ait Ioannes: propter hoc veni, ut manifestetur in Israel:* et (*homilia vigesima*): *Si antea,* inquit, *miracula Christus fecisset, non indiguisset populus aliquo, qui ipsum manifestaret.* Ecce manifeste d. Chrysostomus loquitur de miraculis publice factis ad manifestandam gloriam suam, haec enim solum negat facta fuisse a Christo in pueritia: multa namque tunc secreto patrasse latissime comprobavi libro praecedenti de fuga Christi Domini.

Et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli eius. Illud latum discrimen his verbis indicatur, quod inter miracula Christi, et quae reliqui sancti patrarunt, interest, quod Christus per miracula ab eo edita gloriam suam manifestabat; alii vero sancti, non suam, sed Dei gloriam, hoc est, Dei optimi maximi omnipotentiam ostentabant: quia ipsi operabantur tanquam ministri Christi, et in virtute eius; ipse vero tanquam dominus, et tanquam auctor ipsorum propria virtute illa faciebat. Docuerunt me hoc discrimen Euthy. et Hilarius (*lib. adver. Varim. Arianum*).

Quod autem dicitur: *Et crediderunt in eum discipuli eius.* D. Augustinus (*lib.* 2. *de cons. Evangel.*) arbitratur, per quandam anticipationem appellatos fuisse discipulos in hoc sensu, quod vocati sunt discipuli ad nuptias, idest, qui postea fuerunt discipuli, sed nondum erant: *Quemadmodum,* inquit, *dicimus, Apostolum Paulum natum in Tharso Ciliciae, cum tamen, quo tempore natus est, nondum esset Apostolus.* Movetur autem ad hoc d. Augustinus ea satis apparenti ratione, quia Evangelista ait: *Crediderunt in eum discipuli eius.* Ergo, inquit, *ante non crediderant: si autem non crediderant, non erant discipuli.* Verum mihi durum est, huic sententiae suffragari: nam Evangelista non obscure ait, vocatos fuisse, qui discipuli erant. Quod si discipuli iam erant, iam utique credebant: nec enim ignotum hominem, et inopem, nisi credidissent, secuti fuissent. Quare cum d. Lucas ait, viso miraculo credidisse, non his dixit, quia tunc primum, sed quia magis, et firmius crediderunt: nam et Apostoli iam creati, ut legimus (*Lucae* 17) a Christo exigebant augmentum fidei, dicentes: *Adauge nobis fidem.* Ita interpretantur Origenes (*in Cat.*), Theophylactus (*in comm. hui. loc.*), et alii permulti doctores, quorum varias sententias in huius confirmationem breviter recitabo. Divus Thomas (*sup. cap.* 2. *Ioann.*) ait, post miraculum credidisse in eum, tanquam in Deum; ante miraculum autem credidisse ei tanquam viro bono iusta praedicanti. Caietanus quoque ibidem existimat, ante miraculum credidisse divinam in ipso potentiam latere. Divus Ambrosius (*serm.* 20) affirmat credidisse in omnipotentiam Salvatoris; et divus Cyrillus (*in lib. prior. de rect. fide ad regin. in fin.*) ait: *Cum crediderunt discipuli in Christum, num in hominem sanctum simpliciter? quia, et ante signum secuti sunt eum admirantes, ut sanctum, sed propter signum, contuiti sunt, eum habere virtutem ac potestatem maiorem quam hominis;* cui sit honor, et gloria in saeculorum. Amen.

DE SACRIS ARCANIS

BEATAE VIRGINIS

PASSIONEM ET MORTEM CHRISTI

DOMINI PLANGENTIS

LIBER DUODECIMUS

HOMILIA PRIMA.

Beatam Virginem mortem filii sui vehementer doluisse rationibus, et Patrum testimoniis, necnon verbis Simeonis: Tuam ipsius animam pertransibit gladius, *multiplici expositione illustratis, palam fit.*

Priusquam de acerbitate dolorum beatissimae Virginis sermonem instituam, oportet catholicum fundamentum iacere e diametro pugnans cum execranda quorundam haereticorum doctrina, quos sectarios, et novatores vocitant, asserentium b. Virginem minime doluisse mortem Christi Domini, sed alacrem potius, ac laetam extitisse; tum quia videbat Dei Patris voluntatem adimpleri, humanum genus Christi sanguine redimi, et exaltationem nominis sui per mortem sibi acquirendam fore; tum quia si divus Paulus (1. *ad Thes.* 4) ait: *De dormientibus non contristemur, sicut et ceteri, qui spem non habent;* certe cum b. Virgo Christum post triduum resurrecturum firmissime speraret, frustra de mortis eius dormitione contristaretur; immo potius spe illa innitens, hortari debebat filium ad mortem sustinendam, sicut fecisse legimus matrem Machabaeorum (*lib.* 2. *cap.* 7), ubi haec verba habentur: *Supra modum autem mater admirabilis, et bonorum memoria digna, quae pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat propter spem, quam in Deum habebat, et singulos eorum hortabatur, vocem paterna fortiter repleta sapientia, et foemineae cogitationi animum masculinum inferens.* Ad haec divus Hieronymus tamquam opus heroicum, ac aeterna memoria dignum commemorat in epistola ad Paulam, quod Melania Marcelli consulis filia propriis oculis virum suum defunctum intuens adeo viriliter se gessit, ut de eius morte minime doleret, sed divinae voluntati se conformans laetanter mortem mariti sui suscepit. Igitur cum beata Virgo esset virili magis animo praedita, quam Melania, minus censendum est doluisse, quam illa. His vel similibus infirmis coniecturis suasus haereticus Bullingerus acriter in nos monachos invehens, quod Deiparae Mariae acerbissimos cruciatus populo ad compatiendum proponimus, haec ausu temerario effutire non dubitavit: *Quorsum pertinet prodigiosa quaedam de Mariae ploratu, et lamentatione apud plebem depraedicare, et ad miserationem propensa pectora ad largissimas provocare lacrymas; nam hic quorumdam Monachorum hac in re unicus finis est.* Verum quicquid oblatrent Haeretici, Deiparam Mariam, ut decebat matrem Dei, de filii sui morte vere doluisse ratio ipsa docet, sanctorum Patrum auctoritas probat, ac evangelicum eloquium confirmat. Et quidem, si rationem consulamus, quis nisi ineptissime protervus, inficiari poterit tenerrimam matrem, gravi dolore fuisse concussam, et copiose lacrymatam, dum in conspectu eius unicus, et dilectissimus filius turpissimam, et acerbissimam mortem sustinuit, maxime Iuvenale ethnico homine dicente:

Mollissima corda
Humano generi dare se natura fatetur
Cum lacrymas dedit: haec nostri pars optima sensus.

Equidem si beata Virgo dolores, et acerbam Christi Domini mortem non persensisset, nullamque in eum habuisset commiserationem, ansam dedisset ad iudicandum illam veram,